



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VIII. a Idem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> **I**dem. ] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc tit. cap. 9. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Alex. sed credo etiam spectare textum hunc ad ipsius Pontificis Decretalem

relatam in cap. 1. hoc tit. Illud tantum in presenti deciditur, excommunicationem canonis *Si quis suadente*, etiam incurri ex percussione occulta, & absolutionem ipsius excommunicationis Romano Pontifici reservari, licet hodie, ut vitetur talis percussor clerici, debeat esse notorius post extravagantem *Ad evitanda*.

## CAPVT VIII.

<sup>a</sup> Idem.

**N**ullibi se possunt privilegio Ap. Sed. tueri, quominus <sup>b</sup> excommunicatos vitare debeant, & pro violenta manuum iniectione in clericos, sicut excommunicati vitari.

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> **I**dem. ] Ita etiam legitur in cap. 10. hoc tit. in 1. collect. ubi additur *pars capitis Significasti*: sed ut notavit Antonius Augustinus, non reperitur integra epistola in aliquo capite *Significasti*: quare credebam legendum esse, *pars capitis Significasti*; & ita textum hunc spectare ad Decreta-

lem Alex. III. relatam in d. cap. 1. & sequent.

<sup>b</sup> *Excommunicatos vitari*. ] Non quia Pontifex tale privilegium communicandi impunè cum excommunicatis concedere nequeat, quia cum hæc prohibitio sit jûris positivi, ut dicemus infra in cap. *Significasti*, rectè potest privilegio tolli, ut probat Balboa in cap. 2. de except. Avendanno de metu lib. 2. cap. 31. num. 28.

## CAPVT IX.

<sup>a</sup> Idem *Episcopis, & aliis Prælati per Galliam constitutis*.

**P**arochianos vestros, si qui in monachos, vel conversos præfati Ordinis violentas manus injecerunt, sublato appellationis remedio, secundum tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec <sup>b</sup> læsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent.

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> **I**dem. ] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc tit. cap. 14. & post Concil. Lateran. p. 14. cap. 11. nec amplius exprimitur: credo autem etiam textum hunc spectare ad Decretalem relatam in cap. 1. hoc tit.
2. <sup>b</sup> *Læsis*. ] Certum est, ad assequendam absolutionem ob crimen admissum desiderari satisfactionem parti læsæ factam, cap. 2. hoc tit. in 6. probant latè Riccinus de jure person. lib. 4. cap. ult. Gibalin. de censur. disquisit. 9. q. 4. num. 6. Gutierrez q. canon. cap. 5. num. 29. Illud in præfati

difficile videtur, quomodo videlicet in præfati casu ob injuriam illatam monachis, seu canonicis regularibus, ipsi conquiri possint, cum certum sit, monachos ob injuriam sibi illatam agere non posse, sed tantum monasterium, exemplo Patrisfamilias, ob injuriam filio irrogatam, l. *ff. unus, §. filiofamilias*, ff. de injuriis. Sed respondendum est, Alexandrum in præfati dum docet læsis congruam satisfactionem esse præstandam, accipiendum esse de satisfactione præstanda monachis, mediante ipso monasterio, vel ejus syndico ut docuit Balboa in cap. *causam* 9. num. 10. de judiciis.

## CAPUT X.

Idem <sup>a</sup> *Ianuesi Episcopo*.

**E**X tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod B. Canonicus sanctæ Mariæ de vineis, in quendam subdiaconum manus injecit violentas, &c. *Et infra*: Mandamus itaque f. t. quat. recepto ab eo Canonico juramento, quod tuo debeat mandato parere, ipsum vice nostrâ a sententia, quâ tenetur, absolvas, sibi que in virtute juramenti præcipias, quod de cætero in clericum, monachum, hospitalarium, vel aliqujus Religionis conversum manus non injiciat violentas, nisi se <sup>c</sup> defendendo, aut de mandato fecerit suorum Prælatorum, vel nisi super eum prælationis ministerium, aut <sup>d</sup> magisterium habeat, aut cum ipso socius fuerit in eadem Ecclesia.

NOTÆ.